

195 in agro Marsici veteris *casino Giocoli.*

Q VINTVS · ET  
SIVMVS Q VI  
NTILIANO PA  
TRI BENE MERE  
5 NTI · Q VI VIXIT  
ANN · LXX · M : IIII

Ign. de' Cunto *antichità di Viggiano* 1825,  
quem librum non vidi; descriptit I. M. Rossi.  
2 POSTVMVS coniecit Rossius.

196 Marsici novi in pariete iuxta turrim  
campanariam antiquam ecclesiae cathedralis,  
donec corruerit in terrae motu a. 1857.

D · M · S  
T · STABILIO  
/// Γ // LAN //  
/// // QVAE  
5 // AE · VI  
xii · ANNIS · LXI  
/ T · F · I · S

A Rossio acceperunt Iannellius et Kaibelius  
exemplum imperfectum tituli propter loci alti-  
tudinem lectu difficilis.

197 Marsici novi in summa turri campanaria  
abbatiae S. Stephani.

ERI · VRSVLVS  
PARON · HILARI  
ANO · LIB · BE  
NEMERENTI  
5 FEC · Q · VIX  
AN // M // / S  
// · XXVII

Rossius dedit Ant. Iannellio et G. Kaibello  
descriptam ut licuit propter locum incommo-  
dum.

198 Marsici novi in turri campanaria ecclesiae  
cathedralis, donec ea corruerit in terrae motu  
a. 1857.

ZENONI  
ZENAI · FRATRI  
PIO · FECIT

Ant. Iannelli descriptam habuit a Rossio vidit-  
que ipse a. 1852.

199 Paterni quarto lapide a Marsico novo in  
vico q. d. *Tempa della Badia* in casula ru-  
stica dd. la Cava.

/// ONIVS · Q · L C // /  
/// IMVS · FRATER // /  
/// LONIVS · Q · L // / / /  
FE // / /

Rossius dedit Iannellio et Kaibello.

200 Paterni antea in aedicula sacra dd. de  
Coiro; qua disiecta perit.

/// / / / /  
/// / / / /  
VIXIT · AN  
NIS · LIII  
MEN · II · D · X  
VIII

Rossius dedit Iannellio et Kaibello.

## XV. GRVMENTVM (*Saponara*). *Tribu Pomptina.*

In exili quae ad nos pervenit oppidorum Lucaniae mediterraneorum memoria paulo frequentius quam reliquorum mentio fit Grumenti; nam non solum nomen ponunt regionum enarratores Strabo (6, 2, 4: καὶ Γρούμεντον δὲ καὶ Οὐερτῖναι τῆς μεσογείας εἰσὶ καὶ Καλασάρνα καὶ ἄλλαι πικραὶ κατοικίαι μέχρι Οὐενουσίας πόλεως ἀξιολόγου), Plinius (*Grumentini* 3, 14, 98, laudans alibi 14, 6, 69 Lagarina vina nascentia prope Grumentum), Ptolemaeus (3, 1, 70 in Lucanis mediterraneis), item itineraria (supra p. 2), sed etiam bello Hannibalico Grumentinos traditur a Romanis defecisse (Liv. 23, 37, 27, 41) et sociali obsidionem obsidionesve eos sustinuisse (Appian. b. c. 1, 41; Florus 2, 6 [3, 18]; Seneca de benef. 3, 23, 2; Macrobius sat. 1, 11, 23). Denique in libro coloniarum p. 209 Grumentina praefectura non comprehenditur cum Lucanis reliquis, sed seorsum ponitur: *limitibus Gracchanis, quadratis [centuriis] in iugera n. CC; decimanus in oriente, kardo in meridiano.* S. Laverius, cuius est ecclesia antiquissima paullo supra oppidum Saponaram ibi ubi in fluvium Agri incidit rivus Sciagra, in actis editis apud Ughellum vol. 7 p. 493 ad martyrium dicitur ductus esse *non procul extra moenia civitatis* (Grumenti) *in locum ubi duo flumina Acris et Sciagra conectuntur*, quem locum ad Grumenti situm determinandum primus attulit Holstenius ad Cluverium p. 288. — Colonia Grumentum appellatur in titulo n. 228; unde praeasant ei *praetores duoviri modo quinquennales* (n. 226), modo nude ita dicti (n. 208, 221, 227), practerea *aediles* (n. 208, 220, 224, 227; *aedilicia potestate* n. 226), *quaestores rei publicae*, ut dicuntur insolite n. 224, vel *quaestores nude* (n. 221, 227); in titulo anni u. c. 697 (n. 219) est *aedilis pro quaestore* exemplo adhuc unico. Accedunt *munerarius* n. 228 et *curator munieris pecuniae Aquilliana* n. 226. Sacerdotes inveniuntur *augures* n. 208, 226, *minister Larum Augustorum et Augustalis Mercurialis libertus* n. 205, *Augustalis Mercurialis* n. 232 (cf. n. 233), *Augustalis Herculanus* sive *Herculanus* *Augustalis* n. 234, 232, *collegium Veneris* n. 228, *magistra Iunonis* n. 202 ancilla. Tribus Grumentinorum Pomptina fuit, ut Potentinorum. — Formam illam res publica Grumentina quo tempore induerit, ignoratur. Fieri potest, ut a Claudio cognomen traxerit, cum in laterculo praetorianorum vol. VI n. 2382 b 29

inveniatur *Q. Vibius C. f. Cla. Neoptolemus Grum.*; sed colonia eo deducta sit necesse est diu ante, cum praetores Ilviri reperiantur in titulo n. 221 fortasse ante Augustum scripto, certo eo non posteriore.

Adiunxi Grumentinis paucos titulos repertos in vico proximo Sarconi, et paulo longius remoto *S. Chirico Raparo*, prope quem Semuncula quaerenda est (p. 2 n. VI) mansio inter Grumentum et Nerulum.

Grumentinae inscriptiones diu latuerunt; nam ex auctoribus Lucanis, quos supra recensuimus, Grumentina non habent nisi *MANVTIVS* et *VORSTIVS* habentque ii paucissima. Primus, qui aliquam curam iis colligendis impenderet, Carolus *DANIVS* fuit archipresbyter Grumentinus, qui initio saec. XVIII data opera lapides scriptos conquisivit effoditve in hortis suis disposuit descriptis edendos Neapolim misit. A *Danianis* copiis pendet *Ioachimus Antonius DEL MONACO* (*lettera intorno all' antica colonia di Grumento, oggi detta la Saponara, indirizzata al Sig. Matteo Egizio Neapoli 1713. 4. pp. 41*; iterum *Calogerà raccolta t. XVIII p. 317 seq.*). Veniunt item a *Danio Grumentini* tituli duo n. 211, 222, quos a. 1716 *Sebastianus PAOLI* ex Saponara cum Muratorio communicavit. *AEGYPTIO* *Danium* ante a. 1728 misisse Grumentinas inscriptiones minimum *XLI* intellegitur ex epistula *Danii* servata Neapoli in epistolario Aegyptiano scripta Saponarae eius anni die Aug. 15, quam subieci. *Scrisse a V. S. tempo fà, che prima di pubblicare le iscrizioni me n' avesse dato ragguglio, e non vedendone altro, stava in punto farla avvisata che non tutte queste da me avute sono nel mio giardino, ma alcune di esse in varie chiese, e luoghi di questo istesso paese, e con ciò la VI. in ordine, che comincia IMP · CAESARI ritrovasi nell' altare della chiesa di S. Laviere, et è l'unica, che viene rapportata dal Gruetero CCXLVIII, 9. L'Ursato nel suo libro de notis Rom. pag. 504 dell' edizione di Padua (che non sò se vi ne sia altra) corregge giustamente il HER in NEP., ma lascia correre il MANIVS, che deve leggersi MAMIVS come più volte hò osservato, ed in una lapide assai bene scolpita, e ben conservata. La VII. è nell' altare di S. Maria dell' Assunta, comunemente detta 'della città'. La VIII. è nel castello di questo S. Prinpe. La XI. è nell' altare della chiesa di S. Martino, Beneficio di cotesto Sig. D. Nicolà Giliberto. La XVII. è nella chiesa di S. Marco. La XXXIX.*